

Dissertatio inauguralis medica sistens aegrotum apoplexia correptum et sanatum ... / [Johann Andreas Tennstaedt].

Contributors

Tennstaedt, Johann Andreas.
Juch, Hermann Paul, 1676-1756.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfordiae : Typis Jo. Christoph. Heringii, [1749]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cmwyurga>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

12

SISTENS

AEGROTVM
APOPLEXIA
CORREPTVM ET SANATVM

QVAM
CONSENSV

GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA
PRAESIDE

DN. D. HERM. PAVLO IVCE

SACRI PALATII CAESAR. COMITE
FACVLT. MED. SENIORE ET ASSESSORE PRIMARIO
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. ORD.
SERENISS. SAXON. DVC. VINAR. ET GOTH. CONSILIAR. AVL. ET ARCHIATR
NEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME CONSEQVENDI

PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT
AVCTOR

IOANNES ANDREAS TENNSTAEDT
COTHENA-ANHALTINVS.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS
HOR. CONSVET.

DIE II. IVNII ANNO MDCCLXIX.

ERFORDIAE

Typis IO. CHRISTOPH. HERINGII Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN APOPLEXIA

215

A F E R O T V

A P O P L E X I A

COMPTON ET ALIIS

GRATIOSA FACULTATIS MEDICAE

IN AUSTRIAE REGNO

PRAGAE

DR. D. HERR. PAULI

PAG. 1. 1. 1.

PRAGAE

1771

PROLOGUS

DE APOPLEXIA

IN APOPLEXIA

DE APOPLEXIA

CAUSIS APOPLEXIAE

IN APOPLEXIA

DE APOPLEXIA

DE APOPLEXIA



HISTORIA MORBI.



*V*ir quinquagenario major, temperamenti sanguineo melancholici, vitæ sedentariæ ejusmodi, qua prona corporis sit conjuncta inclinatio, addictus, & adsueta supersedens sanguinis missioni, post acerbam, altam, introrsusque versam sive suppressam iracundiam animique excarescentiam, corporis similiter admodum notabilem frigesactionem gravem, crudum acidumque tempore meridiano adbibet atque capit cibum, post id vero factum, sequentibus sese expositum deprehendebat symptomatibus: conque- rebatur nimirum de insigni virium lapsu, lassitudine motusque imbecillitate, usque adeo quo ad corpus sustinendum invalidus viribusque carens sit, mentis similiter bebetudine, obnubilatione atque stupore, vertiginosa capitis afflictione ac somni facilitate, aurium præterea tinnitu, oculorum splendore, aliisque tentabatur pluribus, absque tamen eo, quo auxilium peteret, vel huicce morbi impetui salutare opponeret remedium, sed consilii plane incertus, utcumque recessura sit constituens. Accedebant circa vesperam lingua tarditas atque hæsitatio, oculorum caligines, obsuscationes tandemque tenebræ eo usque, quin fixis patentibusque non videret oculis, artuum pariter tremores, premens profundiorque in occipite dolor, insignis extremorum refrigeratio vitalisque caloris notabilis diminutio, ad ultimumque in terram prolapsio, qua altissimo quasi sepultus sopore, absque motu, ulloque sensationis decumbebat indicio. Concurrebat ceteroquin stertor sive respiratio gravior atque sonantior, genarumque rubor. Manu carpo admota, pulsus non modo aquis movebatur intervallis, verum quoque deprehendebatur magnus ac durus. Re itaque in hunc locum deducta, medicum esse requirendum arbitrati sunt, adductus itaque atque animadvertens, morbo quem apoplexiam vocant, agrotum esse correptum, abundantiam sanguinis venesectione deplendi necesse ducens, ejusdem ℥viij. detrahendas jussit, quo facto

facto loqui quidem moliebatur infirmus, ast lingua titubanda solummodo balbutiens, sese capitis, dextrique maxime lateris gravitate, ponderitate ac dolore, ejusdemque jamjam tacti lateris motus impotentia, aliisque tentatum ac divexatum pronunciabat, brevique interjecto spatio loquendi usus revertebatur defectus elinguisque denuo reddebatur miser. Nec silentio est praterendum, quod sinister oris angulus in ipsum hoc latus detortus visui se offerret ac cerneretur. Medicus igitur ad egrotum accersitus, linteamina atque mandelia admodum fervefacta, circa caput non modo, maxime ejusdem dextrum latus, verum quoque circa reliquam corporis peripheriam, quotiescumque fieri poterat adplicanda atque admovenda, pariterque eorundem ope, easdem partes frictionibus stringendas suadebat, ac iisdem tepesactis, eadem præcalida admodumque fervida denuo imponenda autor suasorque erat, propinaturus simul calidum infusum specierum postmodum tradendarum incidentium, resolventium ac roborantium, pariterque subveniundo exhibitione pulveris sequentis R. Tartari vitriolati Tacheniani, ita præparati, quo sal alcalicum obtineat principatum, sive ad statum accedat alcalicum, partes duas, salis Ammoniaci depurati, radicem Vincetoxicæ ana partem unam, f. pulv. misc. D. pro dosi ℥j. Vomitione vero cum id redderet, atque exterminaret, eundem paulo post denuo adhibuit pulverem, subjuncto simul laxante ex rad. Rhabarbari orient. elect. ℥ss. & Pilulis spleneticiis Sylvii gran. 5. postmodum tertia quaque hora pulverem antea descriptum ex Tartaro vitriolato Tacheniano ad statum alcalicum accedente &c. admovendo, insuperque foci præcalidos collaudata antea ratione exhibendo atque applicando. Sequenti nocte insigni tentabatur ac vexabatur inquietudine atque jectigatione, alvus paulisper tantummodo solvebatur, voxque interdum quidem atque aliquando revertebatur obscura, brevi vero mutam præbebat personam. Cum itaque periculum & noxa valde urgerent, desiderataque alvina excretio nec valida nec frequens satis fiebat, denuo ejusdem sequenti mane propinandum, consultum duxit laxantis remedii tertiam partem medicus, quo facto istoque venis concepto medicamento fiebat tandem, quin congestio ac colluvies vitiosorum humorum a capite derivaretur, tanto maxime, cum partes viscidiores stagnantes per Tartarum vitriolatum &c. divisæ, minusque coherentes redditæ faciliorem eandem redderent, promoverent atque adjuvarent derivatio-

riuationem atque exterminationem, quibus removendis omnis mendendi superstructa ac fundata ex nostra sententia est ratio. Simul itaque ac laxans jamjam memoratum vires exsereret remedium, statim recipiebat vocem, initio quidem debilem mox vero clariorem firmioremque, ceteroquin vertigo, tenebrositas, caligines & obscuritates oculorum capitis ponderitas & insignis gravitas, similiterque pressio- nis sensus in latere dextro, memoria lesio mentisque error Deo benedicente cessabant. Conquerebatur vero de virium prostratione, reversuro quandoque capitis dolore, facilitate ad iracundiam tadio, fiti ac paralyti totius dextri lateris. Metodo vero proposita cum pergeretur ac continuaretur, partes nimirum viscidiores ope pulveris ex Tartaro Vitriolato Tachenii &c. dividendo, iisque divisae aptis ac tenuioribus, ingravescentibus hinc inde symptomatibus, easdem per laxans removendo atque exterminando, usque eo quo omnes præter modum coherentes, viscidiores stagnantes atque extravasatae partes sint mutatae, correctae, divisae atque e corpore eliminatae, (nec omis- sis roborantibus ac nervinis) convaluit, atque ab universa morbi apoplectici aequae, ac paralyseos potestate, absque ullo novoque ejusdem impetu, Deo propitiante, adprobante atque juvante, infirmus est liberatus ac vindicatus.

§. I.

Apoplexia est repentina atque præceps sensuum & motuum voluntariorum abolitio atque privatio.

§. II.

Origo vocabuli Apoplexiæ græca est, derivatur enim a verbo ἀποπλήττειν, graviter atque potenter percutere ac percellere, & hoc ex ἀπό, quod intensiorem, validiorem fortio- remque denotat gradum & πλήσσω vel πλήττω frango, percello s. percutio, eo quod Apoplexia tentati ac correpti, simul atque semel gravissime, quasi ictu percussi proster- nuntur, concidunt ac corruunt. Nomen quoque consequitur morbi syderati, attoniti, affulgurationis membrorum, universalis resolutionis, guttæ, icti, lu-

minis animæ sensitivæ, radiationis ignisque vitalis extinctionis, silentii, der gehende Todt, die Hand Gottes, der Schlag. Morbi syderati nomine notatur, quatenus nimirum a numine invisibili, vel juxta alios ab infau-
sto sydere, trucidentur dejectique collabantur, quam ob rationem affulgurationis nomine quoque insigni-
tur, veteres enim fulmen ex numero syderum esse sunt arbitrati sibi que persuasum habuerunt. Attoniti nomen eidem ob conjunctum stuporem, stupiditatem & torpedinem imposuere atque indidere. Guttæ nomi-
ne notatus est a PARACELSO, sibi persuadens, quod tres sanguinis guttulæ sub cranio hæreant positæque de-
prehendantur, sub quacunque temporum regione hæ-
reat una tertiaque in cerebri medio collocata atque re-
posita sit, decidente alterutra, modo dextra modo fini-
stra sit, paralyxis sive Hemiplexia accideret, media vero si delabatur, apoplexia proprie dicta producat, quæ
vero cum fidem excedant, ab eademque abhorreant, imo vero auribus sint intoleranda, derisum jam du-
dum effugere non potuerunt. Silentii nomen inve-
nit, quandoquidem obmutescunt, silent repenteque conticescunt miseri. Reliquorum producere ac profer-
re rationes, minus erit necesse, quod eadem notæ at-
que apud omnes sint pervulgatæ, iisdem itaque enu-
merandis jure supersedeamus.

§. III.

Discrepat vero, varia ac diversa est apoplexia, non modo ab aliis sibi cognatis morbis atque ægrotationi-
bus, verum etiam inter se. Dividitur enim atque dis-
pescitur in sanguineam & serosam, idiopathicam &
sympathicam, universalem & particularem similiterque
differt gradu.

§. IV.

§. IV.

Ab aliis itaque confimilibus five communia signa habentibus differt ac distincta est morbis, sic v. gr. a syncope diffidet, quod in hac pulsus & respiratio ad sensum plane cessant, faciesque ac labia sint pallida, quæ in apoplexia, maxime sanguinea, contra accidunt, tamen si enim in apoplexia, si cerebellum lædatur, pulsus quoque cesset, sibilus tamen five stertor e pectore, in syncope non poterit animadverti. A lethargo differt, quod huic febris plus minus acuta jungatur, & expergefacti statim in eundem delabantur rursusque decedant absque paralyfi. A catarrho suffocativo & asthmate convulsivo distincta est, quod in hisce motus & sensus nec ablati nec aboliti sint, sed integri maneant. A passione hysterica discrepat, quod in hac, maxime ejusdem vehementiori atque intensiori gradu, respirandi facultas plane atque ex toto miseris demta atque ablata est, punctæ sentiant, eorumque sæpe numero quæ in paroxismo facta fuere, reminiscuntur memoriaque ista repetunt, hinc sensuum usum adhucdum aliqua ratione retinent, quæ in apoplexia secus deprehenduntur.

§. V.

Distinctio in sanguineam & serosam inde origines traxit atque est orta, facta nimirum hoc morbo demortuorum atque extinctorum corporum incisione, curiosius animadverterunt, quod non numquam grumofus ac extravasatus sanguis interdum vero insignis lymphæ viscidioris copia, nervorum prefferit principium; quod similiter faciei color & pulsus innuit ac com-
monstrat, sanguinea enim ruborem pulsumque magnum & durum, serosa vero plerumque pallorem, pul-
sum

sum vel naturalem vel debilem imo vero aliquando obscurum præ se fert ac monstrat, ne dicamus de corporis dispositione ratione temperamentorum, vitæ genere &c. In casu itaque præsentis, quod sanguinea fontem atque originem constituat, nemo erit, qui consensum negaturus sit. Idiopathica est, sic a læsione vel violatione cerebri, cerebelli vel medullæ oblongatæ plane atque omnino dependet, sympathica vero, cum ob affectam aliam quādam partem, cerebrum &c. eo usque in consensum trahatur, quo apoplexia producat, accedat atque jungatur. Universalis dicitur, si totum corpus sensu & motu privatur atque orbatur *ἡμιπληγία* vel *ἡμιπληξία*, si alterutrum saltem fatiscit, motumque ac sensum amittit, latus. Collandatus vero morbus apoplecticus cum æqualiter atque uno eodemque modo, semper ac perpetuo non ingruat miserosque corripit ac tentet, varios eidem præctici adscribere adque attribuere asperitatis gradus, usque eo quod quidam 2, aliqui 3, aliqui 4 adducant ac persequantur, persuasum vero nobis est, quod divisio ac partitio in 3 gradus, plane atque ex toto sit apta atque idonea, pro variis ac diversis ejusdem præclare exprimendis ac distinguendis gradibus. Primus ac levissimus mali nostri gradus est, si humores vitales ab externis corporis partibus vel abdominis visceribus ope spasmorum contractionum impetuose versus caput adiguntur, urgentur atque impelluntur, ob difficilem vero per venas reditum ac regressum liberæ eorundem circuitui ibidem adfertur mora ac difficultas, hinc genæ non modo eo usque sæpe numero rubent quo strangulatis evadant similes, extrema vero frigent, verum quoque durante hacce

hacce meningum, plexus Choroidei &c. nimia expansione ac distentione, nervorum principium, medulla nimirum oblongata premitur, liquidique nervei secretioni atque in nervos influxui infertur impedimentum, usque adeo quo sensus in- & externi evanescant atque intereant, qua vero discussa ac resoluta, gravitate hacce valetudinis levantur sensimque restituntur, tametsi vi morbi subinde rediente, debilitas dejectusque canaliculorum sanguiferorum cerebri tonus, comites sese huic morbi generi denique præbeant atque adjungant, & hæ sunt sæpe numero impetus atque accessiones, imo vero familiaria symptomata, quibus hypochondriaci ac hystericæ tentantur atque expositi deprehenduntur. Alter apoplexiæ gradus est, si insigni jamjam allatæ vasorum cerebri distensionis sanguinisque circuitui remorato, feri jungatur secessio atque extravasatio, ejusdem enim per poros vasorum concessio transitu, in partem quandam oblongatæ aut spinalis medullæ proclinatur, fluidi nervei circulo est impedimento & hemiplexiam, paralyfin &c. efficit & producit, quo gravior vero atque impetuosior allata jamjam lymphæ remora atque extravasatio, eo plus atque magis sensuum in- & externorum alacritas atque incitatio amittitur atque deperditur, memoriaque vacillat. Supremus tandem ac summus passionis nostræ oboritur gradus, ex subtilissimorum piæ maxime matris vasorum laceratione atque disruptione, cruor enim profusus, basin cerebri complet eique insidet, fluidique nervei circulo obstat atque impedimento est.

§. VI.

Progredimur ad subjecti enarrationem atque enuclea-

creationem, nostri vero cum non sit omnia singulaque ad adfectum nostrum pertinentia pertractandi, ea tantummodo quæ necessaria, quæque ad indicati & præsentis casus distinctam atque adæquatam considerationem & dijudicationem pertinent, erimus proposituri atque adducturi. Diu disceptatum atque in controversiam vocatum est, quid proprie subjectum passionis nostræ principale, primarium ac speciale constituat ac conficiat. PARACELSVS enim *lib. 2. Cap. de gutta §. 4.* cor, pulmones & meatus aëreos, HELMONTIVS præcordia & sinistrum cordis ventriculum, QVERCETANVS cor, CARTHEIVS cerebri poros male efformatos, WEPFFERVVS medullofam cerebri & cerebelli substantiam pro parte adfecta ponere atque æstimare nulli dubitarunt. WILLSIVS tandem in tractatu de apoplexia per crebriores sectiones atque anatomicas observationes in cadaveribus hoc morbo defunctis institutas edoctus concludebat, quod locus principaliter adfectus nec jamjam recensitæ atque enumeratæ corporis humani sint partes, nec quoque majores cerebri ventriculi pro iisdem constanter ac perpetuo, ut alii putavere, sint reputandi, sed medullosa cerebri & cerebelli substantia, undiquaque porosa, meatibusque perexiguïs prædita, partem conficiat adfectam, si nimirum vel sanguinis affluxus per arterias denegetur, vel spirituum effluxus ex cerebro aut cerebello prohibeatur.

§. VII.

Tædio esset singulorum opiniones, diverseque sententiarum argumenta ac rationum momenta expendere, angustisque hisce pagellarum cancellis complecti. Nostra stabilis atque ad laudatum nostrum adfectum forsi-

can magis accomodata sic est sententia ac mens, magno-
pereque censemus, quod cerebrum æque ac cerebel-
lum, qua substantia æque corticali sive cineritia, ac
qua medullari sive candidiori, imo vero ipsa medulla
oblongata & radices spinalis medullæ, verbo, origo &
principium generale nervorum, pro subiecto speciali
ac parte adfecta nostri adfectus, ponendum ac haben-
dum sit. Non enim erit mirum futurum, quin utro-
cunque latere sive cerebri parte, nervorum fiat læsio,
quod eo ipso loco fluidi nervei circulus impeditus suc-
cedat atque impediatur, vel plane omnino auferatur
ac sufflaminetur, hincque varii apoplexiæ efficiantur
species, ut modo hemiplexia, modo linguæ resolutio,
interdum sensuum in- & externorum, aut motus vo-
luntarii extinctio, abolitio vel depravatio, nonnumquam
tandem plena apoplexia, si nimirum fluidi nervei plane
atque omnino intercipiatur atque tollatur circulus,
hanc excipiat nervosarum partium læsionem atque in-
commodum. Sic similiter, testibus observantibus ana-
tomicis WEPFFERI aliorumque quam plurimis patet,
quod si vasorum in cerebello contingat ruptura, licet
cerebrum, nervi musculique sint integerrimi, corporis
protinus sistetur motus, reliqua viscera, artus, muscu-
losæque partes omnes ab actionibus sese moveant susti-
nendis, agere desinant, imo vero respiratio, pulsus ac
calor vitalis omnino destructi appareant, usque adeo
quo miseri perfecte concidant mortui, eosdemque vi-
vos numquam quispiam in crastinum perspexit diem,
contra cerebro compresso vel utcumque laborante,
motus quidem opprimuntur voluntarii atque animales,
cerebello vero integro & sano, ad tempus poterunt in-

ter vivos adhuc numerari vitæque frui. Opponi quidem solet, quod casus ac documenta adjungi queant, quibus appareat, quod incisione corporum apoplexia defunctorum facta, plane nihil nec lymphæ nec sanguinis profusionis in cernendi ceciderit sensum, sed omnis extravasationis sensum oculorum effugissent indicia, sed veremur, ne res ita cadat, ut in historia academici regie scientiarum a du HAMEL anno 1701. edita recensetur, exponitur enim ac depingitur ibidem p. 264. a Dn. du VERNEY sequens apoplexiæ genus, cerebrum nimirum in sectione atque incisione cujusdam apoplexia decessi illæsum deprehendebatur, relinquaque similiter viscera erant sana atque integra, sed inverso corpore magna sanguinis e spinalis medullæ regione profluxit copia, concludit itaque, nervorum ipsam hanc ob rationem factam fuisse compressionem ac motuum ablationem ac cessationem. Causa quidem nihil est, quare nobis persuadeamus, quod allata novum apoplexiæ conficiant genus, antea enim asseruimus, quod duplex omnino spinalis medullæ radix subjecti specialis pars sit, minime ac nequaquam ab eodem sejungenda aut separanda, ceteroquin vero alieni non erimus nec inficias ibimus, quod omnino liquidorum extravasatio ad determinanda apoplexiæ essentialia minime absolute sit necessaria, usque adeo, quo nunquam nulloque unquam tempore ab apoplexia quispiam affligi, urgeri, imo vero consumi, absque fluidorum in cerebro facta extravasatione, queat ac possit, sed sententiæ BELLINI de capitis pectorisque morbis p. 378. assentimur eandemque confirmamus, quod nimirum utique a natura apoplexiæ non alienum “imo vero eadem accommoda-
tum

“tum fit, posse videlicet eandem contingere non per
 “quantitatem sanguinis aut humorum, hoc est, per com-
 “pressionem, sed per solam qualitatem, si nimirum sup-
 “ponatur massa sanguinea, ut nihil contineatur in vasis
 “(*hinc a sanguinis defectu*) vel pars maxima contentorum
 “nihil sit præter liquidum pituitosum, plus minus visci-
 “dum frigidum, aut quid simile, paulatim partes omnes
 “qua solidæ qua liquidæ corporis reparatæ ejusmodi
 “humoribus, flaccescunt, spiritus hebetes, nimis cras-
 “sos, humidos, frigidos, & undis concipiendis ineptos,
 “ob appositionem alimenti aquosioris generabuntur,
 “& ratione exposita sensus & motus tolletur, cum reli-
 “quis adfectionibus, quæ apoplexiam constituunt.”
 Ipsum illud, ex usu non modo rerum sive experientia,
 verum quoque ex præsentaneorum ac repentinorum
 venenorum partibus constituentibus modoque agendi,
 liquet ac perspicuum est, ne dicamus, quod similiter
 hac ratione, paralytis universalis, quæ idem est quod
 apoplexia plena, si nimirum fluidi nervei circulus pla-
 ne atque omnino intercipiatur atque tollatur, perfecte
 pleneque exponi, enodari atque explicari possit & queat.

§. VIII.

Causam adfectus nostri immediatam constituit motus
 spirituum impedimentum subitaneum, tam quoad po-
 ros & tubulos interiores, quam basin cerebri sive medul-
 lam oblongatam & spinalem & inde egredituros nervos.
 Causam mediatam proximiorum perficit, vel humor
 ibidem extravasatus, vel compressio, læsio, obstructio,
 sanguinis defectus, ejusdem affluxus aut refluxus inter-
 ceptus aut denegatus, v. gr. ob concretiones polyposas
 ortas vel ab aliis abruptas & huc delatis partibus, vel va-
 forum

forum cerebri aut tunicarum idem cingentium inflammatio, aut ad ultimum denique fluida acria, viscida, vel acria & viscida simul, minimas substantiæ corticalis arterias vel medullares fibras spasmodice coarctantia & constringentia. Ipsam hanc mediatam proximiorē causam fovēt atque sustentant, causæ mediatae remotiores, res non naturales nimirum, naturales ac præternaturales, e quibus vero ea tantummodo erimus adducturi, quæ in nostro offenduntur ac deprehenduntur casu. Ex causis mediatis remotioribus non naturalibus præcipue corporis frigefactio, cibus adhibitus & admissa gravis iracundia adnotanda atque animadvertenda erit. Aër nimis frigidus calculum suum adjecit, poros cutis constringendo adeoque transpirationem minuendo, prætereaque ob partium ignearum absorptionem liquida non modo coagulando, verum etiam, maxime ob ætatem provectiorem ac calorem debilem, nervos debilitando, itaque cacochymiam pituitosam, stasim, vasorum distensionem, ruptionem, tandemque fluidorum exundationem adducendo ac perficiendo.

§. IX.

Alimenta in cibum admissa gravia, cruda acidaque, ansam similiter præbuere atque occasionem substravere, quod vis ventriculi digerens, ob antea non modo allata, verum quoque ob summam ac pertinacem iracundiam jamjam debilitata, minor reddita ac fracta (quod in sensibilibus ac provectioris ætatis subiectis magni refert) concoctioni horum duriorum ac difficilium impar esset, minus itaque subacta ac resoluta, ventriculo ac canali alimentario non tantummodo diu retinebantur, hæc spasmodice jamjam ob iram adfectas, onerabant atque

que adgravabant partes, sanguinisque motum superiora versus intendebant ac determinabant, sed chylo similiter eadem nato indole, salia viscido involuta acida, in massam copiose deferebantur sanguineam, ibidem accumulabantur eandemque, præcipue vero lympham ex facili jamjam in gelatinæ similem crassamque abituram consistentiam, magis cohærentem atque ad stases & obstructions aptam & accommodatam reddebant, se- & excretiones minuebant, fluidorum vero versus caput impetu, ob partium inferiorum jamjam tactam constrictionem, perseverante atque intensiori facto, laxioris cerebri contextus distensione ac disruptione passioni nostræ parabant aditum.

§. X.

Admissa gravis iracundia, opportunam quoque casu superius adducto substravit apoplexiæ occasionem. Quod insigni omnino animi pathemata gaudeant vi atque efficacia ad nostrum promovendum atque arcessendum malum, præcipue vero iracundiam præ reliquis accommodatissimam admodumque habilem esse, nemo erit, qui negabit. Generatim enim necessitudo animi pathematum cum mutationibus nostri corporis manifestissima imò tanta est, quo vel in somniis incensorum atque efferatorum eorundem animi perturbationum iidem quodammodo conspici atque animadverti possint effectus, quos eædem in expergefactis ac vigilibus conjunctos habere consueverunt, nec ullum humanorum pectorum concipere licebit adfectum, absque motricium fibrarum subsequente ac succedente mutatione, ira v. gr. concitatis, spasmodicam hepatis partiumque confinium strictionem, varia eaque 4plici sese prodentem atque

que exferentem ratione observamus atque animadvertimus. Primo enim succus biliosus in ductibus hepaticis elaboratus, crassiorque in vesicula fellea remorans ac hærens, ob efferatiorem spirituum motum, maxime pere ac mirum quantum commovetur acriorque redditur, prætereaque ob systolen harum partium auctam atque intensiorem factam copiosius in duodenum transfunditur, ibidem contentis ipsam hanc impertitur atque elargitur indolem, adhucque majori, ope fermentationis, acrimoniæ nactò gradu, subiectum constituit irritans, corrodens & inflammans. Illam ipsam enim ob rationem, in sectionibus cadaverum ita extinctorum, teste GLISSONIO ac BLANCARDO vesicula fellea deprehenditur vacua, ob spasmus nimirum harum partium fit, ut quicquid bilis ibidem hæreat vel commoretur exprimatur, atque ad duodenum transferatur & transmittatur intestinum. Secundo vasa sanguifera per hepatis viscus dispersa ac disseminata, valide constringuntur ac coarctantur, præpedito itaque sanguinis progressu ac circulo, stases, obstructions, dolorificæ tensiones imo vero inflammationes adducuntur ac succedunt, manifestissimo concitatae tunc temporis spasmodicæ constrictionis indicio ac argumento. Pro tertio tendines diaphragmatis, truncum aortæ descendentem, ob antea collaudatam spasmodicam constrictionem premunt ac stringunt, quo fit, quin motus ac copia sanguinis in ascendente, versusque superiora augeatur, ejusdemque intensior fiat concitatio atque impetus, similiterque congestio fiat ad caput; hinc facies rubeat, liquidi nervei secretio ac circulus crescat atque amplificetur & musculorum simul intendatur ac multiplicetur robur. Vasis vero præter

præter modum superoneratis, fibræ medullares molles premuntur, usque eo quo quis tandem perrumpatur ductulus, itaque extravasatio fiat ac contingat. Quarto, ipsa hoc modo laudata nervorum structura, causam anxiorum vomendi alvumque deponendi conatum, sæpe quidem numero vacuorum nihilque emollientium, perficit ac constituit. Ex sola enim præternaturali ista jamjam tacta constrictione, quo fluida simul ad caput regurgitant, compressoriaque ibidem producant pathemata, de modo dictis non modo, verum etiam de accessibus apoplecticis, ratio reddi poterit firma ac per se stabilis.

§ XI.

Succedunt res naturales, circa quas præcipue ætas, temperamentum, vitæ genus & consuetudo perpendenda ac ponderanda erunt. Ætas provectior malum nostrum ea adjuvit ratione, corpus nimirum ad spirituum, caloris lymphæque blandæ defectum, cacochymia vero pituitosæ accessum atque augmentum, disponendo atque aptando. Temperamentum adiutorem se præbuit, corporis compagem ad plethoram conjunctamque pariter intemperiem frigidam & siccam præparando atque accingendo. Ratione vitæ generis, quo vitæ sedentariæ ejusmodi, quo prona corporis esset conjuncta inclinatio, addictus erat noster, morbus apoplecticus occasionem atque ansam reperit, quod hoc pacto secretio, separatio atque evacuatio partium se- & excernendarum, præcipue crassiorum, impeditius procederet, inde enim lymphæ progignebatur ac proveniebat præternaturale augmentum, ejusdem intimior ac tenacior cohæsiō partibusque salinis repletio sive aucta acrimonia, similiter partium fibrosarum incondita nimiaque

miaque emollitio, ejusdem pituitosæ lymphæ in partibus extremis subsistentia, adeoque extremorum refrigerium ac frigus, pariterque digestionis læsio, ad summam morbi a viscido presso subsequabantur pede. Præterea vero, similiter ob conjunctam abdominis compressionem sanguinis ac fluidorum libere alias ibidem movendorum circuitui adferebatur remora ac difficultas, motusque insigniter retardabatur progressivus, præpedito itaque ejusdem libero per viscera abdominis motu, majori versus superiora copia, hincque versus cerebrum, mollem minusque resistentem partem compellebatur atque urgebatur, ibidem vero viscidus tenacibusque partibus abundans sanguis, lymphaque crassa, glutinosa, intimius cohærens, partibusque salinis balsamicis volatilibus privata, circuitum naturalem tenere non poterant, sed tardius cursum conficientes, vasa distendendo, dilatando, nervorum systema gravando, comprimendo, liquidique nervei secretionem, motum ac circulum præpediendo, similiterque acredine lancinante & constringente, vasa coarctando, aptitudinem ac dispositionem ad mentis obnubilationem, temulentiam, vertiginem, imo vibratorias piæ & duræ matris contractiones, hypochondriacis admodum familiares, ad ultimumque ad ipsam apoplexiam adducebant ac perficiebant. E consuetudine abundantiam sanguinis venæsectione deplendi, cum recederet noster, plethoræ ad effectum apoplecticum concurrendum data atque oblata est occasio. Per ante dicta enim sanguinis congestio ad caput lentam jamjam colligebatur decubitu, æcerba vero accedente iracundia, insigni insuper, ob impetuosas abdominis constrictiones, sursum pellebatur vehementia, subitoque

que illuc rapiebatur idem, adeoque vasa præter modum jamjam expansa, distensa superonerataque, fibras medullares molles eousque premebant, quo aliquod tandem perrumperet vas molle, hacque ratione fluidorum exundatio sensusque ac motus fieret amissio.

§. XII.

Signa Apoplexiæ superius jamjam allata ac tradita sunt, ob angustiam itaque pagellarum, iterata earundem enarratione ac recensione non commorabimur, factam adfectus nostri sanationem ac curationem proposituri ac consideraturi, cujus præcipuum sequentibus nititur indicationibus. I. Fluida stagnantia, nervos obstruentia, extravasata & comprimantia, sunt in motum cienda, resolvenda, dividenda, post idque factum eliminanda. II. Reliquibus æqualis conciliandus ac conservandus est circulus.

§. XIII.

Prima itaque indicatio, caput & curæ summam, viscerum nimirum resolutionem & divisionem, nec non ejusdem derivationem & eliminationem concernit & respicit. Abundantiam sanguinis primum venæsectione in brachio celebrata, deplendam atque imminuendam curavit medicus. Perturbato enim ac præcluso sanguinis motu progressivo, ob plethoram, conjunctam inferiorum partium spasmodicam constrictionem, factamque statim ac fluidorum exundationem, ope missionis sanguinis insignis vasorum diminuta est distensio, ob imminutam itaque sanguinis in vasa actionem, sistebatur non modo ac circumscribebatur facta jamjam extravasatio, verum quoque ob minutam vasorum distensionem, spasmodicæ relaxabantur constrictiones, vasa-

que ob auctum elaterem ac restitutam eorundem actionem in sanguinem, contenta promptius ac validius propulsabant ac propellebant, adeoque sanguinis circulus reddabatur facilius, inde vero sanguinis ventilatio, attenuatio, partium stagnantium propulsio tandemque secretionum perficiebatur levamentum ac promotio. In brachio eandem instituendam medens auctor suaforque erat, eo quod sanguis ista ratione versus aortae derivabatur ac determinabatur ramos ascendentes, adeoque majorem in modum versus partes superiores, nimirum caput propellebatur, similiterque partium stagnantium fortior obtinebatur propulsus ac divisio. Eandem enim ob rationem ipsa jamjam collaudata venæsectio in ista apoplexiæ specie, quæ sanguinea audit, large & copiose, haud vero parce est administranda celebrandaque, perturbationes enim alias, per jamjam dicta, ut ampliores evadant, insigniterque ingravescant necesse est. Contra in pituitosa, ubi quandoque nec nimia nec justa quidem, vel naturali minor, præsto est sanguinis quantitas, rarius vel paulo parcius eadem erit instituenda, vel plane non vena perdundenda, nulla enim vel admodum exigua cum adsit vasorum distensio, vasa, ista celebrata, adhuc minori extendentur vi, parum igitur constringentur, adeoque actio eorundem in sanguinem erit justo minor, hinc ejusdem motus nimis tardus, in angustioribus itaque subtilissimis tubulis ob accedentem stricturam oritur stasis, hinc omnium secretionum adeoque & spirituum imminutio, virium lapsus, lipothimiæ, paralyssis, contractura, viscidique in extremis stagnantis corruptio, nocet itaque & vix ullam felicem, re eo deducta, ab ista fortiuntur medelam, sed ad mortem dispo-

disponuntur usque eo quo apoplexia subsequatur lethalis.

§. XIII.

Ad viscidæ resolutionem, divisionem ac propulsionem peragendam ac promovendam, calida ac fervefacta circa caput & corporis peripheriam applicata sunt lintheamina, pariterque species pro decocto ex rad. Pimpinell. alb., Cichor., Scorzon., Bardan., Liquirit. herb. Absynth., Fumar., Salv., Card. benedict., Millefol., flor. Arnic. Chamomill. Roman., semin. Fœnicul. Cort. Citri ordinata ac præscripta sunt, adhibendo simul Tartar. vitriolat. Tachen., (ita præparatum quo ad naturam accedat alcalicam sive quod sal alcalicum obtineat principatum,) sal Ammoniacum & rad. Vincetox., addito pauxillum Zinabaris Antimonii. De prioribus nulla est controversia, salia vero media generatim, maxime vero ad statum accedentia alcalicum, volatilibus maritata, viscidum optime dividunt, atque ad eliminationem præparant, similiterque excretiones adjuvant, restitunt atque adaugent, absque eo quo præternaturalem adferant atque adducant calorem, minime perraro, maxime, quod ob statum viscidum, fluidique nervi imminutam secretionem corpus frigeat, resolutio sanguinis hac ratione imminuatur, eademque abunde atque affatim a viscido temperetur. Quod vero radix Vincetoxici sit remedium aperitivum specificum, extra aleam est positum.

§. XV.

Statim vero atque absque cunctatione, post factam venæ sectionem, laxans morbo esse oppositum efficax ac salutare superius memoratum remedium. Cum enim laxantia sint resolventia, resolutio augetur, congestio fluidorum a capite avertitur, & intestina versus, humores derivantur, viscidique exterminantur atque e corpore eliminantur. Ipsam hanc methodi rationem ac viam tentavit & comprobavit Celeberrimus CARE in Therapia dogmatico clinica, edit. cura SCHLIERBACHII Biding. 1737. p. 325. suadens: "quod ex P. lulis COCH. &c. laxatio post paroxysmum sit exhibenda, tertia que quavis die repetenda &c." alique plures. Quo vero alvi eo plus facilitetur solutio, fluidaque viscidiora, minus vero utilia

lia ac laudabilia ejiciantur atque expellantur, pulvis antea memoratus salinus resolvens tertia vel quarta quaque hora denuo est adhibitus, pariterque decoctum antea memoratum, prætereaque linteamina calida, quorum tamen apposita manus erat patiens, ulterius imposita atque applicata sunt. Non modo ista ratione fluida viscida, stagnantia agitabantur motuque ciebantur, pariterque resolvebantur & per transpirationem in- & sensibilem, alvum atque urinam evacuabantur, verum quoque congestio a capite derivatur, resorbebantur itaque fluida extravasata, circulusque liberior & naturalis restituebatur liquidis, constantissima enim certa que attendita cognovimus experientia, quod simul ac laxans remedium vires exserit ex voto, quod statim intelligentia sensusque faciant reversionem, judiciumque remigret.

§ XVI.

Contingit vero sæpe numero, ut laxans de principio exhibitum, non satis ad alvum reddendam sequacem præstet stimuli. Ob nimiam nimirum ac præternaturalem fluidorum cohæsiorem, factamque ob exiguitatem temporis minus sufficientem eorundem resolutionem, ad fluendum nondum satis sunt præparata atque aptata, re itaque in hanc locum deducta, vel ejusdem vel alius laxantis remedii, tertiam aut quartam doseos partem, pro conditione nimirum virium ac circumstantiarum, post decursum 10 vel 12 horarum deglutiendam esse, nulli dubitamus, pergendo simul pulveris salini solventis usu. Facta itaque viscida sat valida se- & excretionem pulveris modo allati salini solventis continuata perseverandum esse adhibitione, modo parcius eundem exhibendo, prorsus arbitramur, viscida enim residua copia hac ratione attenuatur, atque ad se- & excretionem præparatur aptaque redditur. Factam hanc resolutionem ac divisionem, denuo in gravenſcentia innuunt symptomata, divisæ enim viscidiores partes, minimorum vasorum penetrant oscula, in iisdem vero ob præternaturalem quandam adhucdum præsentem cohæsiorem subsistunt, eadem obstruunt atque extendunt, prætereaque ob viscida resolutionem, salia eodem immerſa liberantur, adeoque irritando & stimulando symptoma-

ta similiter augent amplioraque reddunt. Præparata itaque denuo viscerum copia, subjungimus laxans remedium securum ac salutare, quodcumque acceptum ac placens sit, sic continuaturi ceteroquin, usque eo quo sanitas integra restituta ac recuperata sit.

§. XVII.

Timor nimiae subsecuturæ alvinæ excretionis, frustra & sine causa est, secuta enim non modo proposita sunt laxantia, verum quoque alia quæque pro lubitu poterant substitui. Salia vero media dum dividendo, resolvendo viscidumque præparando agunt, ejusdem tuto promovent exterminationem, ac in exitu jamjam constituti adjuvant excretionem. Ne interim erimus negaturi, quin nec opinato evincere queat, maxime in iis qui fervidioris sunt indolis ac naturæ, viscerum laborant læsionibus, ad summam, ad calidioris genii morbos proclives, dispositi ac propensi deprehenduntur, quin utique salium mediorum continuato usu, laxantiumque remediorum interpositione, cacochymia biliosa aut atrabilaria adduci atque accersiri queat & possit, qua quoque de causa, si morbi ita comparata sit ratio, salis Ammoniaci in hisce necessitatibus usu superledendum esse, firmiter sumus persuasi, solummodo ex Tartar. vitriolat. Tachen. partibus 2, & rad. Vincetoxic. parte 1 medicinam facturi, ad alvumque liquandum & solvendum rad. Rhabarbari orient. elect. cum Manna Calabrina proposituri atque ordinaturi. Temperantia vero maximeque nitrosa & absorbentia, ejusmodi morbi conditioni (alvo sat antea soluto atque liquato, viscidoque exterminato) abunde sese probant suntque remedio, periculosa enim ac perniciofa quævis, tunc alias subsecutura, quotidiana teste experientia, istis cedunt atque obediunt remediis.

§. XVIII.

An vero statim post venæsectionem factam, laxans sit utile ac proficiat remedium, symptomataque pro eodem exhibendo, satis sint indicantium, est quod opponi possit, vires vero ordinarie in apoplexia sunt oppressæ, minus autem resolutæ, qua quoque de causa venæ sectio prodest ac proficua deprehenditur, si itaque sanguinis missio non excedat modum, vires remedium laxans plane atque omnino concedunt

dunt ac permittunt, imo vero præclara sustentati conscientia non inficias ituri sumus, facta venæsectione ejusdem suadendi ac consilio juvandi usum & propinationem, constantissima edocti eperientia, quod, facta post sanguinis missionem sat valida alvina excretionem, statim augeantur majusque manifesto capiant incrementum vires, eo quod eorundem defectus atque oppressionis fons & causa, status nimirum viscidus, amolitur ac removeatur.

§. XIX.

Diæta sive bene compositus vivendi modus, in hisce præterea necessitatibus maximi momenti res est. Ob viscidi enim resolutionem atque evacuationem, ciborum invitatur appetentia vehemensque exoritur fames, cum vero morbi conditio, maxime si motus corporis deest, istiusmodi sit, quæ tantum tantummodo cibi & potionis adhibendi permittat, quo reficiantur vires, minus vero libidinis aut luxuriæ causa comedatur corpusque obruatur, animus ac genius quotidie non modo erit defraudandus, se incoenatus similiter cubitum erit eundum, vis enim hujus morbi fame maxime debilitatur & domatur, eò quod novum viscidi ita impeditur incrementum pariterque remediorum non imminuitur efficacia, aliasque eadem certo certius redit, infirmique ab universa morbi nequaquam, imo vero numquam liberantur ac relevantur potestate. Quam ob rationem hocce vitæ degendæ genus, tametsi multum a pristino ejusdem deducat instituto, graviter ac maximopere eramus suafuri ac commendaturi.

§. XX.

Ad vires revocandas, usus vini Mosellani & Franconici, morbo non modo prospero eventu senescente vel superato, verum quoque eodem urgente sub prandio fuimus suafores, ad circulum nimirum fluidorum reddendum æqualem, se & excretionem promovendas, corpusque similiter roborandum. Præterea pariter, ad vires recuperandas ac confirmandas, essentiam Succini cum tinctura Antimonii tassarifata, anatica proportionem mixtam adhibuimus, atque ordinavimus. Quæ methodo fiebat, quin ex incommoda evaderet atque emergeret valetudine, pristinamque integram recuperaret prosperitatem ac sanitatem infirmus.